



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

76. De Mose Eremita Episcopo Mauuiæ Sarracenorum, qui ordinari
recusauit à Lucio Episcopo Alexandriæ Ariano, persecutore verorum
doctorum Ecclesiæ, & interfectorum piarum virginum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](#)

*Ethnica conclusit quoq; Cæsar templo deorum,
Eiectos patria restituit q; pios.*

*Mensibus hic septem tantum regnauit in orbe,
Immodica, ut referunt, mortuus ingluwie.*

75. DE MACARIO ET CAETE-
ris Eremitis, Ruffinus lib. 4.

HI ducebant exercitum non mortali-
bus telis, sed religionis armatum exer-
citum moriendo vincentem, & qui
sanguinis sui profusione victor Christum
consequeretur.

*Hæc de Macario retulit Ruffinus, eremum
Atq; alijs sanctis, qui coluere viris.*

Ducebant turmas Domini cœlestibus armis,

Instructas veri & religione Dei.

Mundanos vincens moriendo exercitus hostes,

Effuso Christi sanguine victor obit.

76. DE MOSE EREMITA EPI-
scopo Mauuiæ Sarracenorum, qui ordi-
nari recusauit à Lucio Episcopo Ale-
xandriæ Ariano, persecutore ve-
rorum doctorum Ecclesiæ,
& imperfectore piarum
virginum.

Mauua Sarracæ gentis regina vetusſæ,
Mosen doctorem postulat ipsa ſibi.
Hic Arabum Moses cultor venerandus eremī,
Præſtanti in ſignis vir pietate fuit.
Mittit Alexandri quæ dicta eſt nomine Magni,
Vrbis ad antiquæ mœnia clara virum:
Ordinet hac Mosen, vt erat mos, præſul in vrbe,
Lucius ingenio vir malus atq; ferox.
Hæreticum, occidit multos, quia dogma professus,
Præſtantes meritis & pietate viros.
Hunc vbi conſpexit Moses, quæ fecerit antè
Expendens, ſanctis talia verba refert:
Præſulis hoc tanto licet haud ſim dignus honore,
Non tamen hunc renuam, ſi dabit ipſe Deus.
Aſt Dominum teſtor, verbo qui cuncta creauit,
Quæ cœlum amplexu terraq; lata tenet:
Non mihi pollutas ſanctorum ſanguine dextras
Lucius hic atrox impositurus erit.
Lucius, ô Moses, dixit, quid ſpernis amicum,
Cūm tibi ſit nondum ſat mea nota fides?
Moses hunc contra grauis eſt hac verba locutus,
Fraudibus haud motus blanditijſq; viri:
Eſt mihi nota fides pridem tua credito, Luci,
His me ne tantis aggrediare dolis.
Quæ tua ſit pietas, Luci, teſtatur abundè
Sanctorum toto fuſus in orbe cruor.
Presbyteri ex templis ſunt multi & Epifcopi ab
Eiecti in ſylvas exiliumq; graue. (vrbe
Sunt

Sunt alij obiecti pardis sauis qu₃ le&nis,
Ignibus hi varijs disperiere modis.
Hactua facta vident omnes crudelia, Luci,
Nulla potest oculis certior esse fides.
Non equidē hunc Domino reuera credere Christo,
Qui dedit hæc sanctis impia damnaputo.
Lucius his dictis probro maiore notatus,
Subticet ad tanti verba verenda viri,
Præsulibus Moses hinc mystes factus ab illis,
Sæuus quos præsul trusit in exilium.
Hinc gentem Aethiopum magna virtute docebat
In Christum Moses cum pietate fidem.

77. DICTVM EVSEBII DE EX-
perimento seu probatione veræ fidei
in veteri Ecclesia, Eodem cap.

Non in verbis vniuersitatis fides, sed in
exilijs & carceribus probata est. Quia
non honori erat catholicum esse, sed
poenæ.

Non verbis veterum sanctorum est cognita, verū
Exilijs, flagris, carceribusq; fides. 22
Non siquidem pietas magnos præstabat honores,
Sed funes, ignes, verbera, tela, necem. 22

78. Re-